

Quod si capitulares, in majori etiam numero, scienter eligant indignum, v. g. ob defectum scientiæ, qualitatis doctoris, etc. aliqui vero dignum, licet hi in minori sint numero; horum tamen sustinetur electio, quia male eligentium jus consolidatur pro illa vice in bene eligentibus, juxta decretal. lib. 1, tit. VI, de electione cap. XXII *Dudum* (1). Plures tamen auctores e contra censent, et docent, minorem capituli partem, etsi eligat pollentem prærogativis a Concilio Tridentino requisitis, nunquam tamen in hac materia legitimam perficere electionem, majori parte inhabili aut non graduato suffragante, prout pluries S. C. Congregatio declaravit (2).

§ 4. *Post electionem quid faciendum.*

I. Facta electione seu scrutineo, illi ad quos juxta consuetudinem vel statuta capitularia pertinet, vel scrutatores ad hoc electi, omnibus capitularibus prout placuerit videntibus et attendentibus, schedulas aperiunt, vota numerant, et prælegunt seu publicant in capitulo.

II. Si nullus votorum pluralitatem obtinuerit, iterandum est scrutineum, ut paragrapho præcedente jam dictum est, toties quoties opus fuerit.

Similiter si aliquis pluralitatem votorum quidem consecutus fuerit, sed juri suo renuntiet, et officium vicarii acceptare recuset, capitulares possunt et debent alium eligere, repetendo scrutineum.

Insuper quando publicato scrutineo, apparet nominatum esse ineligibilem, capitulares variare possunt, novum scrutineum inchoando, et alium eligendo, quia electio de inhabili facta non tenet, et ipso jure nulla est. Secus autem si electio ipso jure non sit irrita, sed per superiorem rescindenda: in hoc casu capitulares neque variare neque novum scrutineum inchoare possunt, sed superioris est, electionem confirmare vel rescindere (3).

III. Si vero scrutineo in capitulo publicato, aliquis votorum pluralitatem habeat, electio facta est, res finita, et capitulares

(1) Scarfantonus lib. 4, tit. VII, animadv. 51; Giraldis de poenis ecclesiast. p. 2, *Electio*, cap. III, n. VII.

(2) 8 Jul. 1702, in *Aliphana*; 23 Feb. 1709 in *Acernensi*; 11 Sept. 1717 in *Nazarena*, apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 41, 43 et 53; Cardinalis d'Andrea in voto ad causam *Caurien, et aliarum* 25 Januarii 1862, Thesaur. S. C. C. tom. 121, p. 14; Bouix de capitul. p. V, sect. 1, cap. XI, n. VIII; Hermes cap. VI, § 1.

(3) Reiffenstuel, lib. 1, Decretal. tit. VI de elect. § 12, n. 296-299.

amplius mutare nequeunt, neque novum scrutineum instituere valent, quia electus, supposita acceptatione, eo ipso est vicarius capitularis, in quem eodem actu transit jurisdictio; et sicut capitulum vicarium capitularem deponere nequit, ut dictum est cap. XIX, § 7, sic eo ipso, quo est electus et constitutus, eum amplius recusare non valet.

IV. Facta electione, Vicarius capitularis jurisdictionem statim exercere potest, etiam ante confectas sibi que traditas litteras patentes electionis suæ, non obstante Decretali in Sexto lib. 1, tit. VI, de electione cap. V, *Avaritiæ*. Licet enim dictæ Decretalis dispositio procedat, nedum in prælaturis, sed etiam in inferioribus beneficiis; attamen id procedit, quando agitur de actu, qui exigit ad ejus perfectionem auctoritatem superioris, ut est in casu electionis, quæ indiget confirmatione: vel ubi agitur de præsentatione seu nominatione ad beneficium, unde necessaria sit institutio seu provisio superioris. Secus autem in hac subjecta materia, in qua non agitur, nec de vera electione, nec de præsentatione seu nominatione exigente post se alium actum ad sui perfectionem, sed agitur de simplici deputatione sonante in mandatum, quod Episcopus, vel prælatus, vel ejus loco capitulum, vicario dare dicitur; quod mandatum ad sui essentiam non exigit scripturam, sed etiam oretenus dari potest. Litteræ siquidem patentes expediuntur ad probationem, non autem ad substantiam vel perfectionem actus, cum nullo jure cautum sit, eas requiri de substantia (1). Unde vicarius capitularis statim ac legitime electus fuit, jurisdictionem exercere potest, etiam ante acceptas patentes litteras, quæ tamen ipsi a capitulo tradi debent, ad finem faciendam de electione (2).

CAPUT XXI.

DE CASIBUS IN QUIBUS ELECTIO SEU DEPUTATIO VICARII CAPITULARIS NEGLIGITUR VEL ILLEGITIME EXERCETUR.

§ 1. *Quinam sunt illi casus.*

I. Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XVI, de reform. statuit, ut « Capitulum, sede vacante... officialem seu vicarium infra octo

(1) Ita Cardinalis de Luca, de canonicis discursu 26, n. 10; et uti communis est sententia juxta Bouix p. V, sect. 1, cap. XVII, § IX; Hermes cap. IV.

(2) Bouix ibidem.

» dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare
 » omnino teneatur; qui saltem in jure canonico sit doctor, vel
 » licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus: si secus
 » factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.
 » Et, si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capitu-
 » lumque, ut præfertur, negligens fuerit; tunc antiquior episcopus
 » ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in
 » exempta œconomum, et vicarium idoneos possit constituere. »

II. Tres sunt casus, qui hic occurrere possunt: 1^o si capitulum
 infra octo dies vicarium non constituat, 2^o si ille quem constituit,
 non habeat qualitates a Concilio requisitas, 3^o si electio ex alia
 ratione vitiosa fuerit.

§ 2. De casu, in quo capitulum vicarium capitularem infra
 octo dies non constituit.

I. Transactis octo diebus post mortem Episcopi, capitulum vica-
 rium capitularem non amplius constituere potest: statuit enim
 Concilium Tridentinum, ut *vicarium infra octo dies constituere*
teneatur, et si secus factum fuerit, deputatio hujusmodi devolvatur.
 Assertit quidem Craisson (1) capitulum suo jure eligendi non
 privari, si intra octo dies convenire non potuerit, quia v. g. potestas,
 sæcularis obsistit; et plures (2) docent, capitulum, transactis octo
 diebus, re integra, posse purgare moram, seu probare, se non ex
 negligentia, sed ex causa electionem distulisse, et ita electionem
 perficere: cum autem ex decreto Concilii, elapsis octo diebus, jus
 deputandi vicarium ad Metropolitanum devolvatur, et consequenter
 capitulum omne jus suum perdiderit; actus deputationis, a capitulo
 post octo dies positus, ex se plane invalidus est; et si Metropolitanus
 interea, inscio capitulo, alium deputaverit, vicarius hic administra-
 tionem statim incipere potest. Si vero Metropolitanus a deputatione
 abstineret, et electioni, a capitulo post elapsos octo dies peractæ,
 consentiret, tunc electio illa valeret non ex se, sed ex consensu
 Metropolitanæ, qui sicut vicarium per se ipsum constituere, sic
 etiam electum a capitulo admittere et approbare potest (3).

(1) N. 1243.

(2) Garcias de beneficiis p. V, cap. VII, n. 7; Scarfantonus lib. IV, tit. VII,
 animadv. 13; Bouix p. V, sect. 1, cap. XV, § 1, n. 11.

(3) Hermes, dissertatio de capitulo sede vacante cap. VII, § 1.

II. Quando capitulum « in vicario, intra octo dies eligendo,
 negligens fuerit, tunc, si agatur de ecclesia suffraganea, ad Metro-
 politanum; si de ipsa ecclesia metropolitana, ad antiquiorem ex
 suffraganeis; si de ecclesia exempta, ad propinquiorem Episcopum,
 pro ea vice, electionem vicarii pertinere voluit Concilium Tridenti-
 num. Idemque juris est, si ecclesia vacans careat capitulo, a quo
 vicarius constitui queat. Si tamen contingat, vacare ecclesiam
 suffraganeam, carentem capitulo tempore, quo etiam Metropolitana
 est suo Pastore viduata, in hoc casu electionem vicarii non spectare
 ad antiquiorem ex suffraganeis, ut nonnulli opinabantur, sed ad
 capitulum vacantis ecclesiæ Metropolitanæ, censuit S. Congregatio
 Concilii, a qua, cum quæsitum fuisset: *Primo, an vacante ecclesia*
suffraganea capitulo carente, illius administratio, et vicarii,
sede vacante, deputatio spectet ad Metropolitanum: et quatenus
Metropolitana ecclesia Pastore careat; secundo, an spectet ad
capitulum ejusdem ecclesiæ Metropolitanæ, vel potius ad anti-
quorem suffraganeum Episcopum; eadem die 28 Augusti 1683,
 lib. 33, *decretor. pag. 261*, ad primum respondit *Affirmative*, ad
 secundum, *spectare ad capitulum Metropolitanæ*. Idemque res-
 ponsum dedit die 14 Aprilis 1685, lib. 35, *decretor. pag. 190* » (1).

III. Metropolitanus vel alius, ad quem capituli jus devolvitur,
 elapsis octo diebus post mortem Episcopi, vicarium statim deputare
 potest; ejus autem deputationem diu differre nequit. Unde deputatio
 post tres menses facta per S. C. C. (2) invalida declaratur. Quinimo
 cum devolutio nihil aliud tribuat, quam facultatem supplendi defec-
 tum primi vocati ad actus exercitium, Metropolitanus aliusque
 cujus est deputare, easdem tenentur servare regulas, quibus capi-
 tulum ecclesiæ vacantis obnoxium erat: ita ut deputatio fieri
 debeat infra octo dies ab habita notitia negligentiae capituli, et
 vicarius constituendus, omnibus qualitatibus a Concilio requisitis
 præditus esse debeat (3).

Quod si tandem Metropolitanus vel alius, ad quem ex dispositione
 Concilii deputatio devolvitur, negligens fuerit, vicarius constituitur

(1) Ita Bened. XIV, de Synodo lib. 2, cap. IX, n. 11; Zamboni, *capitulum*
ecclesiast. § IX, n. 16 et 17.

(2) 17 Dec. 1712, *Alexanen.* dub. 1, apud Zamboni *Vicarius capitularis § 1,*
 n. 47 et 48.

(3) Hermes cap. VII, § 4; Scarfantonus lib. IV, tit. VII, animadv. 14 et 15;
 Bouix p. V, sect. 1, cap. XV, § IV.

a Sede Apostolica per S. Congregationem Concilii vel Episcoporum et Regularium (1).

IV. Capitulo appellare licet a iudicio seu deputatione vicarii per Metropolitanum vel alium jure devolutivo peracta. Hæc autem appellatio proponenda est tantummodo coram Apostolica Sede tam a iudicio Metropolitanum, qui nullam habet superiorem potestatem excepta Sede Apostolica, quam a deputatione vicinioris vel antiquioris ex suffraganeis pro casuum varietate, quia hisce peculiaribus et extraordinariis facultatibus, utpote propriam diocesim non respicientibus, licet in hisce subjiciantur Metropolitanum vel capitulo metropolitanum, sede vacante, in illis tamen nulla iis competit jurisdictionis præ eminentia; proindeque Apostolica Sedes dumtaxat est adeunda, ceu docet cardinalis de Luca *de canonicis et capit. disc. 25, n. 2*, ex resolutione S. Congregationis in *Gallipolitana anni 1699*. Huic autem loci monendum obiter, appellationem seu recursum hujusmodi minime parere effectum suspensivum, sed admitti dumtaxat in devolutivo, juxta tradita per eundem cardinalem de Luca *loco cit. disc. 25, n. 6 et 7, et in annot. ad Conc. Trid. disc. 31, n. 27*, ex regula nimirum quod omnia quæ celeritatem desiderant, atque sine irreparabili præjudicio moram seu dilationem non patiuntur (ut in casu administratio vacantis ecclesiæ) suspensivam appellationem non admittant, uti verbis conceptis monet auctor præfatus *dict. disc. 25, n. 6 (2)*.

§ 3. *De casu, in quo vicarius a capitulo electus non habet qualitates a Concilio requisitas.*

I. Quando de nullitate electionis agitur, quæ ex violatione Concilii Tridentini cap. XVI, sess. XXIV de reform. provenit, causa proponenda est coram Metropolitanum, antiquiori suffraganeo vel viciniori Episcopo, quia illi sunt, qui per Concilium designantur, et ad quos causa devolvitur.

Quod autem si de potestate Metropolitanum vel respectivi antiquioris aut vicinioris quæretur, dum illius demum opus est auctoritate; nihil aliud ipsi licere videtur, quam vel factam a capitulo

(1) Hermes ibidem; De Angelis lib. 1, tit. 28, n. 17.

(2) Ita Cardinalis d'Andrea in voto ad causam *Caurten*, 25 Januarii 1862; Hermes cap. VII, § 3; Bouix p. V, sect. 1, cap. XV, § 111.

deputationem confirmare; vel alium jure devolutivo vicarium ad tramites Concilii deputare; nunquam tamen ei competit potestas sanandi defectus, qui substantiam actus afficiunt, quodlibet præjudicium alicui exinde obveniret. Hoc enim Apostolicæ Sedi tantummodo et exclusive competit.

Si Metropolitanus vel alius cui competit, jure devolutivo utatur, alium vicarium constituendo, eandem debet servare formam, iisdemque conditionibus et regulis obtemperare, quibus erat obnoxium capitulum ecclesiæ vacantis, servando nimirum methodum superius traditam circa necessitatem doctoris assumendi vel non. Nam devolutio nihil aliud tribuit, quam facultatem supplendi defectum primi vocati ad actus exercitium (1).

II. De casu, quo vicarius a capitulo electus, non habet qualitates a Concilio Tridentino requisitas, auctores non conveniunt. Alii censent, Metropolitanum aliumque ad quem spectat, post probatam nullitatem electionis, statim alium vicarium deputare posse: et contra alii sustinent, illum capitulum monere debere de nullitate electionis, et novum octo dierum terminum constituere, ad perficiendam electionem validam; eoque tempore elapso, ac vicario habili non electo, tunc omnem electionis facultatem devolvi.

Qui censent alium vicarium statim deputari posse (2), tenent illa Concilii Tridentini verba, *si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur*, utrumque casum pariformiter comprehendere ad effectum devolutionis; ita scilicet ut capitulum, sive negligat suam facultatem exercere intra octo dies, sive male exerceat, inhabilem eligendo, pro illa vice privetur tali facultate, quæ devolvatur ad Metropolitanum, vel antiquiorem aut viciniorum juxta dispositionem Concilii. Hanc sententiam approbat et confirmat S. C. Congregatio (3).

Alii autem, qui sustinent vicarium non statim deputari posse, sed capitulo novum terminum octo dierum assignandum esse, dicunt devolutionem esse pœnam impositam principaliter ob negli-

(1) Ita Cardinalis d'Andrea in voto cit.

(2) Quaranta, Summa Bullarii, verbo *Archiepiscopi auctoritas* n. 35; Monacelli, Formularium, tit. 1, formula 2, adnot. 5; Barbosa ad Conc. Trid. sess. 14, c. 16, n. 28; Ventriglia, Praxis, tit. de jurisd. Archiep. cap. 49, n. 23; Cardinalis de Luca, de canonicis, disc. 24, n. 7, et disc. 25, n. 4.

(3) In *Taraconen*, 1590, lib. 6, Decret. p. 120; in *Tricaricen*, 8 Maji 1592, lib. 7, Decret. p. 44; in *Hortonen et Camplen*, 11 Maji 1624 apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 7; et in *Campanien*, 4 Ap. 1637, lib. 15, Decret. p. 593.

gentiam in gerendo actu, quæ non debet extendi ad casum, quo actus quidem gestus est, sed nulliter. Mens enim Concilii ea esse videtur, ut ad incurrendam pœnam devolutionis tota decreti dispositio, non vero sola præscriptio eligendi doctorem vel alias idoneum violata esse debeat. Idem etiam textus Concilii indicare videtur, ubi postea de ecclesiis Metropolitanis et exemptis agit. Ibi enim repetens causam, ob quam jus deputandi vicarium devolvitur, de sola loquitur negligentia: *Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta aconomum et vicarium idoneos possit constituere.* Textus ergo Concilii negligentiam vel culpam a parte capituli supponere videtur, ubi devolutionis pœnam infligit (1). Hanc quoque sententiam approbavit et confirmavit S. C. Congregatio (2).

Juxta Cardinalem d'Andrea (3) « arbitrandum videtur, tunc locum patere devolutioni, cum terminus octo dierum elabatur, vel nulla facta ob capituli negligentiam electione, vel si scienter electus fuerit indignus, vel demum si attentis peculiaribus facti circumstantiis malus exitus ob partium dissidentium tricas prudenter prævideri poterit. Hisce vero sepositis conditionibus nova vicarii electio semper ad capitulum remittenda esset, cum hujusmodi pœnæ et injuriæ species haud sit infligenda, ceu tradit ad rem Cardinalis de Luca (4), nisi casu a jure expresso, et ubi culpa adest delictum præ se ferens, maxime cum agatur de præcipuo jure, quod valet a capitulo exerceri: quo proinde non privandum, excepto casu culpæ, quæ dolo æquiparatur, vel negligentia ad Concilii sensum. Quod si in hac novi termini præfixione vel prudens doctor, si plures habeantur de gremio, vel alius regimini idoneus haud eligatur, tunc demum, ad vitanda diœcesis incommoda, devolvetur omnino ad metropolitanum aut viciniorem deputatio. »

Ad concilianda diversa decreta S. Congregationis, notare juvat animadversionem, quam facit idem Cardinalis d'Andrea (5), videli-

(1) Pignatelli tom. 8, consult. 34, n. 8 et seq. Scarfantonus lib. IV, tit. VII, animadv. 14; Bouix p. V, sect. 1, cap. XV, § 2; Hermes cap. VII, § II.

(2) 19 Dec. 1569, *Mazarien*, apud Zamboni *Vicarius capitul.* § 1, n. 1; et 18 Aug. 1668, in *Lancianen*, lib. 26 Decret. p. 59.

(3) In voto ad causam *Caurien*, 25 Jan. 1862.

(4) Adnot. ad Conc. Trid. disc. 31, n. 18 et 19.

(5) Loco cit.

cet, unicuique compertum esse, singula S. Congregationis decreta peculiaribus factorum adjunctis inspectis esse prolata, quæ quidem adjuncta raro admodum identitatem cum casibus affinis omnimodam præ se ferunt; et hinc fieri, ut regulam haud constituent generalem omnibus casibus accommodandam: quæ quidem animadversio tum assertam eliminat discrepantiam sive contradictionem, tum illorum subvertit nimis facilem disserendi rationem, qui ex peculiaribus hisce decretis abunde collectis regulam præsumunt universalem constituere. »

§ 4. De casu, quo electio ex alia ratione vitiosa fuerit.

Concilium Tridentinum circa electionem Vicarii capitularis disponit in duobus casibus, videlicet: 1° si electio infra octo dies facta non fuerit, et 2° si electus non sit doctor, nec licentiatum, vel alias quantum fieri poterit idoneus; de aliis autem casibus, in quibus electio ex alia ratione vitiosa fuit, v. g. quia non omnes capitulares, qui de jure vocari debuerant, vocati fuerunt, quia aliquis ab electione exclusus fuit, etc. Concilium nihil disponit.

In his igitur casibus locus non est devolutioni ad Metropolitanum, antiquiorem suffraganeum aut propinquiorem Episcopum, prout Concilium statuit; sed causa proponenda est coram superiori capituli, videlicet coram Metropolitanano, si de capitulo ecclesiæ suffraganeæ, et coram S. Congregatione Concilii, si de capitulo ecclesiæ metropolitanæ vel exemptæ agatur.

Si superior declaret, electionem esse nullam, nihil aliud statuendo, capitulum ad novam electionem procedere debet infra octo dies a cognita sententia. Nonnumquam autem Sacra Congregatio, annullata electione capituli, ecclesiæ vacantis administrationi providit per deputationem vicarii Apostolici vel per sanationem prioris electionis invalidæ (1).

(1) Cap. *Si electio* in VI, lib. 1, tit. VI, c. XXVI; Hermes cap. VII, § 2; Bouix p. V, sect. 1, cap. XV, § II, n. 1; Craisson, n. 1241.